

## CIRCA LIBRUM TERTIUM

## DE MOTU ET INFINITO.

## QUÆSTIO XIV.

## DE MOTU ET ACTIONE.

## ARTICULUS PRIMUS.

*Explicatur definitio motus, et ejus essentialia constitutiva.*

Motus etsi pluribus modis ab Aristotele declaratus sit, unica tamen definitione definitur, scilicet: *Actus entis in potentia prout in potentia*, licet enim dixerit Philosophus, quod motus est actus mobilis ut mobile, et iterum quod est actus activi et passivi, prout alia sunt, tamen per hæc non introducit novam definitionem, sed explicat difficultates ex illa definitione ortas; scilicet quomodo motus pertineat ad mobile, et ad moventem. Tota autem definitio ab Aristotele tradita ad hoc tendit, ut ostendat motum esse actum imperfectum, id est, cui aliquid restat acquirendum ad differentiam earum definitionum, quas tradiderunt antiqui, et Philosophus reprobat, qui collocabant motum sub non ente, vel sub inæqualitate aut similibus; prout ex text. cap. 1, colligitur.

Pro explicatione autem definitionis traditæ, notanda sunt verba D. Thomæ, in Physic. lect. 1, ubi de natura motus loquens: « Quod antequam aliquid moveatur, est in po-

tentia ad actum perfectum, qui est terminus motus, et ad imperfectum qui est motus, sicut aqua antequam incipiat caleferi, est in potentia ad caleferi, et ad calidum esse; cum autem calefit, reducitur in actum imperfectum, qui est motus, sed respectu sui adhuc remanet in potentia. » Quam doctrinam etiam tradit s. doctor XI Metaphys. lect. IX. Ex quo colligitur, quod respectu considerari in triplici statu. Primo, in potentia tantum sine aliqua reductione ad actum. Secundo, in actu ultimo. Tertio, medio modo, quando est partim in actu, partim in potentia. Et quando est in potentia tantum, nondum movetur: quando est in actu perfecto, seu ultimo, cessat motus: quando medio modo se habet, tunc est in moveri, et in transitu de uno ad aliud.

Ex his ergo explicatur motus per suas partes. Primo dicitur *actus*, quasi loco generis, et sumitur actus pro eo, quod distinguitur a potentia, abstrahendo ab actu perfecto, vel imperfecto. Et licet includat motus aliquid potentia, ponitur tamen in genere actus et non potentia, quia præcipuum officium motus est reducere mobile in actum, licet quia id facit tanquam actus imperfectus aliquid potentialitatis includat. Invenitur autem in motu duplex habitudo potentialitatis, altera respectu mobilis, seu subjecti recipientis motum, in quo convenit motus cum aliis formis, quæ etiam reducunt

subjectum de potentia ad actum informando illud. Et ad hoc explicandum ponitur sequens particula *entis in potentia*, id est, subjecti existentis in potentia. Non autem dicitur corporis in potentia ne supponatur id, quod probandum erit de subjecto motus, scilicet quod sit corpus quia est divisibile. Altera autem habitudo potentialitatis in motu est ad ulteriorem terminum, in quo distinguitur a reliquis formis, quæ solum actuant subjectum in quantum est potentia ad se, motus autem actuat subjectum, non solum ut est in potentia ad se, sed ut est in potentia ad ulteriorem terminum, et propterea dicitur, quod est *entis in potentia prout in potentia*, sicut æs quando movetur ad formam statuæ, non actuatur a motu in quantum æs, sed in quantum in potentia ad statum, ita D. Thomas in Physic. lect. II, §. Manifestat, etc.

Ex qua explicatione solvuntur plures instantiæ, quæ contra istam definitionem objici possunt. Non potest argui, quod est redundans, quia convenit aliis, et quod est diminuta, quia non explicat omnia, quæ sunt de essentia motus. Et quod conveniat aliis probatur, nam convenit omnibus formis imperfectis, quæ relinquunt subjectum in potentia ad alias formas, ad quas ordinantur, et tamen non sunt motus sicut forma embryonis relinquit materiam in potentia ad formam perfectam equi, et similiter calor ut quatuor ad calorem perfectum ut octo, et tamen neque forma embryonis, neque calor ut quatuor sunt motus, ergo, etc. Quod vero sit diminuta probatur, quia non explicat aliqua, quæ sunt de conceptu motus, v.g. quod sit ab agente, et in passo et ad terminum ad quem, quæ habitudines sunt essentielles motui, cum motus essentialiter sit via et tendentia ab uno ad aliud, er-

go definitio data undique deficit.

Ac primum respondetur, formam imperfectam dupliciter sumi posse. Uno modo, quia est imperfecta in ratione formæ comparative ad aliam perfectiorem: alio modo, quia non solum est imperfecta comparative ad aliam formam, sed etiam habet statum potentia et imperfectio- nis, qui est tendere ad formam, tanquam ad terminum: hoc enim requiritur ut actus ille ita sit imperfectus, quod non sit terminus motus, quantumcunque enim forma sit imperfecta in ratione informandi, si tamen non habet illum statum imperfectio- nis, qui est tendere, non est motus, sed terminus motus, nam hoc ipso quod forma aliqua informat, et cessat tendere ad ulteriorem terminum, cessat motus. Unde calor ut quatuor licet sit imperfectus in informando respectu caloris ut octo, tamen si cessat tendere ad calorem ut octo, non informat ut motus, sed ut forma imperfecta, et sic intelligitur definitio motus, quod sit actus entis in potentia, prout in potentia, id est, prout habens statum potentia, qui est tendere ad actum.

Ad secundum respondetur, quod illa habitu dines etsi non ponantur expresse, ponuntur tamen virtualiter. Per hoc enim quod dicitur *entis in potentia prout in potentia*, denotatur subjectum, quod patitur, seu transmutatur; sic enim est in potentia dum mutatur de uno ad aliud. Ubi autem est passio, virtualiter insinuat actio, quia passio non est nisi transmutatio ab aliquo agente. Similiter habitudo termini a quo ad terminum ad quem insinuat in eadem particula *prout in potentia*, intelligitur enim quod sit in habitudine, et potentia ad ulteriorem terminum, qui est terminus ad quem, ubi consequenter insinuat terminus a quo, quia non est transi-

tus ad terminum ad quem, nisi ex aliquo termino a quo.

Explicata definitione motus restat explicare, an conveniat omni motui, tam successivo quam instantaneo, tam continuo quam discreto, quod est inquirere, an successio, et continuitas sint de essentia motus hic definiti. Aliquorum enim sententia est, solum motum successivum in hac definitione includi non mutationem instantaneam, ut generatio substantialis. Quam sententiam videntur tenuisse aliqui antiqui, qui ut refert D. Thomas XI Metaph. lect. IX, dicebant, quod motus est exitus de potentia in actum non subito: ex recentioribus tenent illam M. Soto III Physic. quæst. I, concl. III, quem sequuntur Conimbricenses III Physic. quæst. I, art. II ad 3, licet fateantur esse contra D. Thomam. Fundamentum est, quia tales actiones instantaneæ non sunt actus entis in potentia, siquidem in uno, et eodem instanti completur tota mutatio, et sic tota est simul in actu, non partim in actu, partim in potentia, sicut requiritur ad rationem motus. Item quia alias creatio esset mutatio, quod negat D. Thomas I part. quæst. XLV, art. II ad 2 et 4, nam est productio instantanea faciens transire de non esse ad esse, et non minus habet de potentia et actu secundum diversas prioritates naturæ, quam generatio, vel illuminatio. Denique, quia alias actus immanentes intellectus, et voluntatis essent motus hic definiti, siquidem sufficit, quod sint mutationes instantaneæ, et habeant actum, et potentiam secundum diversa instantia naturæ, non temporis.

Nihilominus difficultatem hanc ita resolvit D. Thomas V Physic. lect. II, in principio ubi inquit Aristoteles supra in III: « Ubi motum definiuit, accepit nomen motus secundum quod est commune omni-

bus speciebus mutationis, hoc modo accipit hic nomen mutationis, motus autem accipitur magis stricte pro quadam mutationis specie. » Ita D. Thomas. Ex qua doctrina colligitur in hac definitione definiri mutationem generaliter sumptam, prout comprehendit instantaneam et successivam, et hæc ipsa est sententia M. Soto ubi supra. Ratio autem est, quia etiam mutatio instantanea est actus entis in potentia, prout in potentia, quia in generatione substantiali materia, quæ habet rationem subjecti, est in potentia mutationis, et transitus de una forma ad aliam, ergo ipsa mutatio habet quidquid requiritur ad rationem motus sic definiti, siquidem est actus existentis in potentia, supponens ipsum subjectum, ut in potentia existens, scilicet materiam primam: et de potentia transire ad actum, quatenus in eodem instanti datur fieri, et factum esse, et relinquendo unum terminum a quo, et transeundo ad terminum ad quem; ergo mutatio instantanea etiam in definitione motus comprehenditur. Quare Philosophus in hac definitione motus posuit exempla in omnibus mutationibus, alteratione, augmento, motu locali, et generatione, ut patet in hoc tertio libro, lectione secunda apud D. Thomam. Unde non accepit generationem lato modo prout etiam alterationem antecedentem comprehendit; nam cum posuisset exemplum in alteratione, et augmento, non poterat iterum nomine generationis intelligere alterationem.

Cæterum loquendo de mutatione instantanea actus immanentis intentionalis, illa excluditur a motu physico hic definito, ut patet per Aristotelem in de Anima, textu XXVIII ubi loquens de sentire, et intelligere inquit: « Quod alia est species motus; motus enim imperfecti actus,

simpliciter autem actus alter est qui perfecti, » ubi S. Thomas explicans hunc textum, inquit: « Quod motus physicus est actus existentis in potentia, quia videlicet recedens ab uno contrario, quando movetur non attingit alterum contrarium, quod est terminus motus, sed est in potentia ad ipsum, et quia omne quod est in potentia, in quantum huiusmodi est imperfectum, ideo ille motus est actus imperfecti. Sed iste alius motus est actus perfecti, est enim operatio sensus tam facti in actu per speciem. » Ita D. Thomas et similiter videri potest I part. quæst. XVIII, articulo I. Ubi satis profunde naturam motus explicat, quia in tantum dicitur esse in potentia, in quantum subjectum motus ita recedit ab uno contrario, quod nondum attingit aliud, sed aliquo modo est in potentia ad illud et hoc est esse actum imperfecti, id est, esse actum subjecti in tali dispositione positi, quod nondum habet formam, nec attingit illam; quando vero aliquid operatur attingendo actu ipsam formam quam habet illa operatio non est motus de potentia ad actum, sed habens actum, et ideo non continetur in ista definitione motus, qui est actus existentis in potentia, prout in potentia. Actus autem immanentes versantur circa objectum, etiam quando actu habent illud, imo tunc perfecte operantur circa objectum, quando magis actuantur ab illo, et possident illud, ergo talis operatio non consistit in motu physico definito procedente de potentia ad actum, et ideo dicitur motus perfecti, id est, existentis in potentia. Unde patet operationem de se non requirere potentialitatem in eo, a quo procedit, sed salvari posse cum summa actualitate, invenitur enim operatio remoto motu, quando operans non respicit objectum ut non habitum, sed etiam

habendo illud, operatur circa illud cognoscendo, vel amando.

Ad argumenta supra posita respondetur. Ad primum, quod licet in eodem instanti generationis simul sit fieri, et factum esse, tamen vere invenitur transitus, et mutatio de potentia in actum, secundum diversa instantia, et prioritates naturæ, mutatur enim aliquid de non esse ad esse. In actu autem immanente, ex eo præcise quod immanens est, non fit transitus de potentia ad actum circa objectum cognitum, nisi per accidens, si objectum non sit sufficienter unitum aut habitum in ipsa potentia, per se enim loquendo quanto magis in actu habetur ipsum objectum, tanto perfectior est operatio circa ipsum. Et licet producat species expressa, ad quam est in potentia per speciem impressam, tamen non consistit ratio actus immanentis in huiusmodi productione nam etiamsi non producat talis species expressa, sicut non producit in sensu externo, vel etiam postquam producta est in intellectu, datur vera operatio cognitionis circa objectum; de quo amplius dicitur in tertio de Anima.

Ad secundum de creatione respondetur, non esse mutationem, quia deest illi subjectum sine quo non datur actus existentis in potentia, atque adeo deficit illi una pars definitionis motus; dicitur tamen mutatio non ex parte subjecti, sed ex parte termini transeuntis de non esse ad esse, quod est significari per modum motus, ut dicit S. Thomas I p. q. XLV, art. II ad tertium.

Quod vero attinet ad continuitatem motus, an sit de essentia motus, quod sit continuus, vel includatur etiam in hac definitione motus discretus, respondetur, motum discretum alium inveniri in naturalibus, alium in spiritualibus. In spiritualibus

bus non est aliud, quam pluralitas operationum indivisibilium, et sic est extra latitudinem motus physici qui divisibilis esse debet. In naturalibus autem motus discretus non est aliud, quam plures motus continui interrupti, sicut quantitas continua, divisione facta redditur discreta. Est tamen differentia in hoc, quod quantitas discreta licet ex vi divisionis, et multitudinis tantum non constituat particularem speciem quantitatis, quia tamen induit diversam ordinationem partium divisarum, et mensurationem, ideo numerus constituit diversam speciem quantitatis. At vero motus discretus non induit rationem exeuntis de potentia ad actum, nisi tantum eam, quam habet continuus, per cuius interruptionem redditur discretus, et sic non constituit distinctam speciem, sed redecitur ad speciem continui.

Quod si ultimo inquiras, an motus localis Angeli includatur in motu physico hic definito, respondetur, in sententia D. Thomæ motum Angeli fieri per ipsam actionem intellectus secundum quod habet efficaciam aliquid transmutandi, et sic ipsa actio movendi Angeli est conceptio intellectus, ut expresse affirmat sanctus doctor opuscul. xi, art. iii. Unde consequenter removeri debet motus localis Angeli a ratione motus physici, sicut ipse actus intellectus. Adhuc tamen abstrahendo ab hoc, etiamsi motus localis sit aliquid præter conceptionem intellectus, excluditur tamen a motu physico, etiam quando est motus continuus in Angelo, quia non est simpliciter divisibilis, sed solum ex parte subjecti, in quo est motus, quia ut dicit D. Thomas 1 part. quæst. lxxi, art. 1, Angelus dum movetur partim est in termino a quo, et partim in termino ad quem, ut tamen partialitas non referatur ad substantiam Angeli, sed ad locum, quia

in principio motus continui Angelus est in toto loco divisibili a quo incipit moveri, sed dum est in ipso moveris, est in parte primi loci quem deserit, et in parte secundi loci, quem occupat. Itaque motus Angeli est indivisibilis subjective, divisibilis autem terminative. Sed de hoc latius pertinet ad Theologos.

## ARTICULUS II.

*Utrum motus distinguatur ab actione et passione, a termino a quo et ad quem?*

Omnes habitudines, quæ in motu reperiuntur, reducuntur ad ista quatuor, eo quod in omni motu seu mutatione, ut inquit D. Thomas quæst. iii de Potent. art. iii, est duplex processus, scilicet inter terminos a quo et ad quem, et inter movens et mobile. Inquirimus ergo, quomodo distinguatur motus ab actione et quomodo etiam distinguatur a termino.

Et quantum ad terminum ad triplicem sententiam reducuntur varia placita auctorum. Prima affirmat actionem et passionem inter se et a motu distingui realiter. Ita sentiunt, qui existimant actionem esse in agente, et passionem in passivo, de quo sequenti articulo agemus. Eandem sententiam communiter sequitur schola Scoti, in qua distinguitur actio prædicamentalis, et actio physica, et actionem prædicamentalem constituunt in respectu agentis ad passum, quia per talem actionem formaliter constituitur agens in ordine ad passum, et sic apud ipsos actio prædicamentalis non est productio termini, sed formalis relatio agentis ad passum, unde distinguunt realiter actionem et passionem inter se, et a motu. Actio autem physica

sumitur ab ipsis pro ipsa forma fluente, quæ ut respicit passum, dicitur passio physice, et ut est ab agente, actio, et sic tales respectus, non constituunt ipsum agens ad passum, sed ipsum motum, seu formam fluentem, cum qua aliqui putant identificari istos respectus, alii vero etiam differre putant, solumque identificari cum motu tanquam cum subjecto. De qua sententia Scotistarum videri potest Fuente lib. iii Physic. q. ii, fere per totam.

Secunda sententia non agnoscit, nisi distinctionem rationis inter actionem, et passionem, et motum: sed adhuc dividuntur. Nam quidam existimant non distingui nisi ratione, quia motus se habet ut gradus superior respectu actionis, et passionis. Quod attribuitur M. Soto iii Phys. quæst. ii, concl. iii, §. Quaritur, et tenet Cabero iii Physic. disp. i, dub. ii. Alii vero existimant motum se habere ad actionem, et passionem non ut genus, cum sint prædicamenta primo diversa, et motus est postprædicamentum: sed tanquam quid præsuppositum ad actionem, et passionem, cum quo tamen identificantur taliter, quod sola ratione ratiocinata ab eo distinguuntur. Ita Rubius iii Physicor. tractat. i, quæst. vii, et P. Suarez disp. xlix Metaph. sect. ii, qui etiam addit num. xiii, quod licet actio, et passio differant ratione ratiocinata, motus tamen, et passio, nec ratione ratiocinata differunt, sed sola nominis appellatione eo quod eandem definitionem habet Philosophus motus, et passio, et D. Thomas 1-ii, quæstione i, articulo iii, dicit: « Quod calefactio passio nihil aliud est, quam motus ad calorem. »

Tertia sententia est, quod actio, passio, et motus distinguuntur a parte rei, non tamen distinctione reali, ut res a re, sed distinctione

modali. Est communis Thomistarum ut videri potest apud Nazarium 1 part. quæst. xxiv, art. 1; Araujov Metaphys. quæst. i, artic. iv; collegium Carmelitanum iii Physic. disp. xvii, quæst. ii, ubi plures citantur.

Circa secundum respectum, id est, habitudinem inter terminum a quo, et ad quem in motu, etiam variant auctores. Nam quidam distinguunt motum a termino ad quem sola ratione ratiocinata, sumunt enim motum pro ipsa entitate, seu forma fluente, quæ solum differt a termino ratione status, quia scilicet vel est in via, vel est in termino, in mutatione, vel mutato esse. Alii ex opposito distinguunt motum a termino realiter, quia revera motus non est forma fluens, nam forma non fluit, sed fit totaliter de novo, motus autem se habet ut via, seu tendentia ad istam formam, unde videmus separari motum a termino, et e contra, nam incipiente motu est motus sine termino, et cessante motu est terminus sine motu, ergo distinguuntur, quia separantur. Alii denique existimant distingui motum a termino modaliter, seu formaliter, realiter vero motum non esse aliquid præter res, ad quas est motus.

Dico PRIMO: Actio, et passio non respiciunt motum tanquam genus, et gradum sibi essentialem, sed sunt conditionis intrinsecæ ipsius motus, eique quasi subiecto convenientes. Sumitur ex Aristotele iii Physicor. text. xxii, ubi inquit: « Quod omnino neque doctio est idem cum disciplina, neque actio idem quod passio, sed motus cui hæc insunt. » Et D. Thomas iii Physicor. lect. iv, dicit: « Quod cum motus abstrahat a ratione actionis et passionis, non continetur in prædicamento actionis, neque passionis, ut aliqui dixerunt. »

Et præter rationem insinuatam

quod actio, et passio sunt prædicamenta primo diversa, et sic non habent genus supra se, deducitur fundamentum conclusionis ex eo; quia actio et passio identificantur cum motu a parte rei; ergo non possunt respicere illud pro genere, nisi multiplicetur in eis motus; quod est falsum, ut probat Philosophus ibi, quia alias si essent duo motus actio redderet motum subjectum in quo est, et sic si subjectum est agens, moveretur in quantum agens, quod est falsum, quia agens ut agens solum movetur; si autem est in passio, moveretur passum duplici motu respectu unius, et ejusdem termini, quod est falsum, non ergo multiplicatur motus in actione, et passione, et consequenter motus non est genus ad illa; repugnat enim quod aliquid sit genus ad duas species, et non multiplicetur in illis, siquidem contrahitur et dividitur per differentias talium specierum, unde si non dividitur, sed identificatur cum utraque specie, non est genus illarum, sed aliquid præsuppositum. Et hoc est quod dixit Philosophus quod actio et passio sunt idem cum motu, cui hæc insunt; inesse autem illi denotat, quod habet rationem subjecti, seu præsuppositi, non subjecti ut *quod*, sed ut *quo*, tanquam conditiones necessariorum motus, siquidem motus essentialiter est fluxus, et tendentia quædam, quæ necessario requirit fluere ab aliquo, et tendere ad aliquid in aliquo subjecto, quod est includere actionem, et passionem. Et sicut in ipso termino in facto esse actio, quæ identificatur cum termino, habet ipsam entitatem termini ad modum subjecti, et rei, cum qua identificatur, ita et ipse motus, qui est terminus in fieri, habet actionem quasi formalitatem sibi identificatam.

Quod si dicas: Non repugnare,

quod gradus genericus corrupta specie maneat in alia specie, quæ est sub eodem genere, ut cum circulus transit in semicirculum non corrupta ratione figura, quæ est gradus genericus, ergo non repugnabit etiam eundem motum identificari cum actione et passione saltem entitative, licet multiplicetur formaliter motus actionis, et passionis. Sed contra est, quia implicat, quod corrupto gradu specifico remaneat idem gradus genericus, quia ab eadem forma provenit gradus genericus et specificus; corrupta ergo forma, neque specificus gradus manet, neque genericus, licet posset manere similis gradus, quia utraque species est sub eodem genere, sed non idem. Si vero dicitur multiplicari motum formaliter, sed non entitative, ergo multiplicabitur effectus ejus formalis, et sic duplici motu movebitur etiam respectu ejusdem termini, quod tanquam inconveniens infert Aristoteles in hoc libro, text. XIX.

DICO SECUNDO: Actio et passio non distinguuntur sola distinctione rationis, sed distinctione modali, seu formali reali, tam inter se, quam a motu. Quæ distinctio formalis non est illa, quam ponit Scotus, qua dixit distingui ea a parte rei, quorum unum non est de conceptu alterius, sed distinctio formalis, de qua loquimur est idem quod distinctio modalis, quæ ab omnibus admittitur. Conclusio ergo posita est D. Thomæ qui affirmat actionem et passionem importare diversas habitudines motus, et remoto motu nihil remanere, nisi habitudinem originis, et receptionis, ut patet I part. q. XXVIII, artic. III ad 1, et quæst. XLI, artic. I ad 2, et quæst. XLV, art. II ad 1, ubi inquit: « Quod actio, et passio conveniunt in substantia motus, et differunt solum secundum diversas habitudines, » ut dicitur

III Physic. « Et ita oportet, quod substracto motu, non remaneant nisi diversæ habitudines, » et idem repetit articulo sequenti.

Ex quo sumitur fundamentum hujus sententiæ, quia in actione, et passione importantur diversæ habitudines ad movens, et ad mobile secundum rationem originis, et receptionis, vel ergo istæ habitudines sunt relationes prædicamentales, et secundum esse, vel secundum dici. Si primum, manifestum est aliquid addere ad motum, quia relatio aliquid est præter suum fundamentum. Si secundum, ergo sunt aliquid absolutum fundans illam relationem, et sic cum fundent relationes diversas, utpote ad diversos terminos se habentes, non poterunt omnino esse idem fundamentum, sed oportet quod distinguantur non minus, quam ipsæ relationes fundatæ. Item potest dari actio sine motu, ut patet in creatione, ut S. Thomas affirmat I p. q. XLV, art. II et III. Ergo actio ex suo conceptu differt a motu tanquam aliquid a parte rei distinctum; motus enim non se habet ut genus, sed ad modum subjecti respectu actionis, ut dictum est, si ergo ex natura sua aliquando separari potest a motu, signum est a parte rei distingui. Ut omittam, quod actio, et passio sunt distincta prædicamenta, ergo postulatur distinctio plusquam rationis; quia cum prædicamenta sint coordinationes entium realium, ubi sunt distincta prædicamenta, debent esse distinctæ series realitatum, et consequenter diversa realitas saltem modalis.

Ex eodem principio constat decere distingui passionem, et motum, quia importatur in illis diversa habitudo; nam passio respicit subjectum, ut recipiens ab agente, et sic habitudo ejus est inter subjectum, et agens; dicitur enim aliquid

pati ex eo quod trahitur ad agentem, ut dicit S. Thomas I-II, q. XXX, art. I. At vero motus respicit terminum per modum transitus et tendentiæ ad illum de imperfecto ad perfectum, et sic respicit terminum per modum transitus inter terminum a quo et ad quem, non formam per modum receptionis ab agente, ergo diversas importat habitudines.

Quod vero distinctio istorum trium non sit nisi modalis ex eo probatur, quia ut realitas illa motus dicatur actio non requiritur realitas superaddita, sed quod eadem se habeat ad agens secundum rationem originis ab eo, solum ergo est modus aliquis non realitas distincta, sed ejusdem realitatis nova respicientia, et modificatio. Et constat etiam ex eo, quia eodem actu, quo impello vel percutio alterum, ille dicitur percussus, vel impulsus, non ergo requiritur distinctus actus, seu realitas, ut motus sit actus activi, et actus passivi, sed sufficit distincta modalitas.

DICO TERTIO: Considerando motum respectu termini ad quem, motus entitative non distinguitur ab eo realiter, sed modaliter ratione diversi status imperfecti et perfecti, fieri et in facto esse, potest tamen secundum aliam considerationem reduci ad prædicamentum actionis, et passionis, et similiter est post prædicamentum. Sumitur hæc conclusio ex D. Thomæ III Physic. lect. IV, §. Respondet ad tertium inconveniens, in fine, ubi inquit: « Quantum ad id, quod est in rerum natura de motu (id est, quantum ad entitatem) motus ponitur per reductionem in illo genere, quod terminat motum, sicut imperfectum reducitur ad perfectum, sed quantum ad id, quod ratio comprehendit circa motum, scilicet esse medium quoddam inter duos terminos, sic jam

implicatur ratio causæ, et effectus, nam reduci aliquid de potentia in actum non est nisi ab aliqua causa agente. Et secundum hæc motus pertinet ad prædicamentum actionis, et passionis. » Idem repetit in v Physic. lect. III, §. 1.

Itaque quod motus reducat ad prædicamentum sui termini, et non distinguatur realiter ab illo, ex eo constat, quia motus, et terminus ejus solum differunt sicut fieri, et factum esse, sicut res in tendentia et in termino, in potentia et in actu, si autem esset diversa res in fieri, et in facto esse, nunquam verificaretur quod ista res quæ modo est consummata, aliquando fuit inchoata, et in fieri, unde si illa res, quæ est in facto esse, distinguitur ab ea, quæ est in fieri, illa quæ est in facto esse, solo illo instanti fieret, non vero motu, quia quidquid motu, et fieri antecederet se haberet, pertineret ad aliam realitatem. Et non sufficit sola distinctio rationis, sicut est inter genus, et differentiam, quia ibi solum intervenit potentia logica, et secundum compositionem intellectus, quia uterque gradus radicatur in eadem forma, motus autem dicit potentiam physicam, ad terminum secundum realem transitum, et successionem de uno in aliud, quod sine aliqua distinctione saltem diversi status nequit intelligi; quia vero iste transitus et mutatio non stat sine origine ab aliquo, et receptione in aliquo in quo fit mutatio, necessario reducit ad actionem et passionem, ut identificatur cum illis.

Quod denique motus etiam sit post prædicamentum, ex eo constat, quia motus potest sumi dupliciter. Uno modo pro eo cum quo identificatur, sive sit forma ipsa, ad quam tendit, sive actio, et passio, sine quibus non tendit. Secundo, pro ipso statu, seu conditio, in qua constituit for-

mam, vel actionem, est enim motus status quidam oppositus quieti; termini enim motus non solum est ipsa res, ad quam tenditur, sed etiam quies in illa, ut notat S. Thomas I p. q. v, art. VI. Sic ergo motus, ut nominat statum quemdam oppositum quieti, cum sit status, seu conditio consequens ad plura genera, dicitur postprædicamentum, quia postprædicamentum est conditio aliqua, seu ratio consecuta ad plura prædicamenta, ut in Logica diximus. Motus autem pro re, cum qua identificatur ut imperfectum cum perfecto, vel ut medium inter agens et patiens reducit ad ea prædicamenta, cum quibus identificatur.

Dico ULTIMO: Motus stricte sumptus ut condistinctus a mutatione generaliter dicta addit supra mutationem hæc tria. Primo, quod sit inter terminos positive contrarios, et non solum inter privationem et formam. Secundo, quod habeat pro subjecto aliquid ens in actu completum, licet mutatio salvetur in sola materia prima. Tertio, quod se habeat ut fluxus inter duos terminos, seu mutationes; in uno enim motu includuntur duæ mutationes, scilicet ex parte termini a quo corruptio, et ex parte termini ad quem generatio. De hac conclusione agemus infra libro v, quæst. XIX, inferim videri potest S. Thomas XXVIII de Verit. artic. 1, ubi sic inquit: « Differentia est inter motum et mutationem, nam motus unus est, quo aliquid affirmative significatum abicitur, et aliud affirmative significatum acquiritur: est enim motus de subjecto in subjectum, » ut dicitur in v Physicorum: « Unde unus motus alterationis est, quo album abicitur, et nigrum acquiritur: sed in mutationibus, quæ sunt generatio et corruptio, aliter se habet, nam generatio est mutatio de non sub-

jecto in subjectum, ut de non albo in album: corruptio vero est mutatio de subjecto in non subjectum, ut de albo in non album. Et ideo in abiectione unius, et adeptione alterius oportet duas mutationes intelligi, quarum una sit generatio, alia corruptio vel simpliciter, vel secundum quid. Sic ergo idem motus figuratur per ablationem unius, et inductionem alterius, non autem significatur eadem mutatio, sed diversa. » Similia habet v Physic. lect. II. Et bene nota, quod ut detur duplex mutatio, scilicet corruptio et generatio, oportet quod terminus a quo sit aliquid positivum, quod corruptione tollatur. Si autem terminus a quo sit privatio, ejus corruptio non est distincta mutatio a generatione formæ, quia privatio non corrumpitur transeundo de esse ad non esse, cum non habeat esse, sed ipsa productione formæ introductæ in subjecto privatio solvitur. Tunc ergo intercedit corruptio ut realis mutatio, quando ex parte termini a quo est aliquid positivum incompatible cum termino ad quem, quod debet mutari de esse ad non esse; et ideo quia motus est inter duos terminos positivos, includit duplicem illam mutationem corruptionis unius, et generationis alterius. Et quia est inter terminos contrarie sive positive oppositos quæ sunt accidentia, ideo requiritur, quod subjectum motus sit ens in actu, seu substantia completa, et non solum materia prima, sicut sufficit pro generatione substantiali.

#### Solvuntur argumenta.

Pro prima sententia arguitur: Quia actio et passio sunt distincta prædicamenta, ergo debent realiter distinguari, siquidem solum entitates

reales constituunt prædicamentum. Confirmatur, quia forma fluens, et manans ab aliquo agente posset ab alio emanare, et in alio subjecto recipi, ergo illæ dependentiæ actionis, et passionis variari possent in ipsa entitate formæ, ergo non identificantur cum illa, sed realiter distinguuntur.

Respondetur, quod ad distinctionem prædicamentorum sufficit distinctio modalis, sicut ubi, et situs respectu substantiæ, aut quantitatis, et in multorum sententia relatio respectu fundamenti. Ad confirmationem respondetur, quod dato quod eadem numero forma posset procedere ab alio agente, solum sequitur quod ille modus actionis, et passionis posset esse alius; non tamen quod sit realitas, et non modus; hæc enim est natura modorum, ut licet identificentur cum re, tamen possint amitti, vel desinere esse, ipsa re permanente, licet non possint separatim existere sine re, ut patet in ubi, et situ, et relationibus, quæ amittuntur, vel ponuntur, subjecto non pereunte, et tamen identificantur ut modi.

Pro secunda sententia arguitur ad probandum quod motus sit genus ad actionem, et passionem. Primo, quia non possunt aliter connecti actio, et passio cum motu nisi secundum prædicationem essentialem, alias accidentaliter motui convenirent. Secundo, quia ipsa actio essentialiter est quædam mutatio, quia per illam agens mutatur de non agente in agens, et similiter per passionem mutatur patiens, et habent se per modum viæ, et fluxus, quia non durant nisi quamdiu effectus producit, et est in fieri, ergo habent totam rationem motus. Denique, motus non potest esse subjectum actionis, vel passionis, quia non denominatur ab illis, neque, enim motus dicitur agens, vel pa-

ens, ergo non tribuunt ei effectum formalem, et sic non habent illum pro subjecto, sed pro genere.

Respondetur, connexionem inter actionem, et passionem cum motu non esse connexionem generis cum differentia, vel specie, sed modi cum re modificata, ad quam requiritur intrinsece, sicut figura requiritur quantitatem, substantia substantiam, tempus requirit motus tamquam aliquid præsuppositum essentialiter, et fides requirit obscuritatem intrinsece, non ut constitutum, sed ut modificativum sui.

Ad secundam probationem dicitur, quod actio etiam si subjective sit in agente, non mutat ipsum agens tamquam motus, sed actualitas, seu forma, quæ constituit agens non motum, sed moventem sicut etiam forma substantialis, vel accidentalis constituit aliquid tanquam forma, non tanquam motus. Si tamen causa creata movetur ad hoc ut agat illa motio non est formaliter per actionem illius, sed per concursum, seu auxilium causæ superioris moventis.

Ad tertiam probationem dicitur, quod motus non est subjectum actionis denominative, et ut *quod*, sed identificative, et ut subjectum *quo*, sicut etiam relatio identificatur cum fundamento, et habet illud ut subjectum identificationis, subjectum autem inhesionis est ipsum suppositum, in quo est tale fundamentum, et similiter figura identificatur cum quantitate, sed denominat tanquam subjectum substantiam.

Tertio arguitur ad probandum, quod motus, et actio solum distinguantur ratione, quia motus est actus actui ut ab hoc, et passivi ut in hoc; ergo ut sit actio non indiget nova entitate, vel modo, sed tantum seipso ut dependente, vel recipiente id a quo est, sicut etiam existentia non distinguitur ab essentia, nisi

ratione, quia est entitas essentialiter, ut producta, et dependens ab agente. Deinde, quia si essent tres formalitates actio, passio, et motus, moveretur mobile tribus mutationibus, quotiescunque movetur ad unum terminum, quia recipit omnes illas. Denique, ad hoc faciunt auctoritates supra allatæ, ex Philosopho et D. Thoma referendo hanc sententiam ex P. Suarez.

Respondetur, non indigere motum nova realitate, ut dicatur actio, sed distincta formalitate, quia in actione importatur origo ipsius motus et causalitas agentis, quæ aliquid superaddit effectui, existentia autem si non distinguitur ab essentia in sententia illorum Auctorum, non est, quia importat respectum ad producens, sed quia sine existentia entitas essentialiter manet in statu possibilitatis, et non ut ens reale. In quo tamen consequenter debent dicere hi Auctores, quod actio si identificatur cum re producta, non distinguitur ab ipsa nisi ratione, quia sine actione res producta est nihil, si tamen intelligitur causalitas, seu actio distingui a re quam producit cur non etiam existentia, quæ est terminus actionis?

Ad secundam probationem dicitur, non moveri mobile tribus motibus, quia actio et passio non sunt motus distincti, sed conditiones, seu modi unici motus, quo movetur mobile ad unum terminum.

Ad auctoritates Philosophi et D. Thomæ respondetur, quod definitio motus, quando definitur quod est actus entis in potentia, etc. non est eadem cum definitione passionis: quando vero dicitur, quod motus est actus mobilis, non definitur ibi motus, sed explicatur ordo ejus ad subjectum, in quo convenit cum passione. Et quando dicit D. Thomas quod passio non est aliud quam motus, intelligitur entitative, et secun-

dum comparisonem ad subjectum, non secundum omnem formalitatem.

### ARTICULUS III.

*Quid sit actio, et quotuplex, et quid sit formalis terminus ejus?*

Cum notissimum sit apud omnes, actionem esse actum secundum ipsius agentis, ut docet Philosophus in hoc tertio libro, textu xix, actus autem duo habet officia, scilicet informare respectu subjecti, et originare, seu emittere ex se effectum, quod pertinet ad terminum, utrumque in actione explicandum est; in hoc quidem articulo id, quod proprium est actionis, scilicet respectu termini, seu effectus quem ex se emittit; in sequenti vero id, quod est commune actioni in quantum accidens est, scilicet in quo subjecto sit, an in principio a quo emittitur, quod est agens, an in subjecto, in quo terminus ejus recipitur, quod est passum.

In præsentem ergo propriam rationem actionis per aliquot dubiola explicabimus. Primo, quæ sit definitio actionis. Secundo, an sit de ratione ejus, quod producat terminum, vel solum quod uniat, aut aliquo modo attingat. Tertio, quid sit terminus formalis, a quo specificatur. Quarto, de divisione ejus in creativam, et eductivam. Quinto, de divisione ejus in transeuntem, et immanentem.

Primo ergo inquirens, quæ sit definitio actionis tam physice, quam logice, seu metaphysice? Respondetur, quod actio potest defini, vel quantum ad ipsam formam, quæ est actio quasi in actu signato, vel quantum ad exercitium ipsius formæ, quod est agere. Et quidem agere, ut dicit S. Thomas quæst. ii de Potent.

articulo primo, nihil est aliud quam: « Communicare illud, per quod agens est in actu secundum quod possibile est. » Quæ definitione complectitur omne agere tam creatum quam increatum, tam intra Deum quam ad extra, licet diversimode: nam res creatæ, et actio Dei ad creaturam communicat id quod est in agente cum aliqua multiplicatione, et divisione, nec potest communicare totum quod est in agente, et totaliter, quia sit cum aliqua limitatione saltem ex parte rei communicatæ, hoc ipso quod creata est. Communicatio vero Dei ad intra, quia perfectissima est, et sine ulla limitatione ex parte communicantis, et rei communicatæ, ideo agens communicat se totum.

Actio autem sumpta pro forma varie defini solet. Primo, quod actio est *actus activi, ut activum est*, ut dicitur tertio Physicor. textu ix. Secundo, quod actio est *id, quo denominatur agere*, vel ut dicit Auctor sex principiorum, et D. Thomas opusculo XLVIII, tract. de act.: « Actio est forma, qua in id, quod subjeicitur, denominatur agere; » ubi definitur actio relative ad passum, quod subjeicitur, quæ est definitio actionis prædicamentaliter, seu logice consideratæ. Tertio, dici potest actio *causalitas agentis, seu id, quo effectum causat*, vel ut definit S. Thomas in Physicor. lect. v: « Est actus ab agenti in aliud, » et i part. quæst. LIV, artic. II: « Actio est effluxus in actum ab agente. » Denique, defini potest actio, *quod est actualitas virtutis*, ut dicit D. Thomas eadem questione, art. I.

Secundo, dubitabis in quo consistat formalitas actionis, an in ratione productionis effectus, vel unionis ejus ad passum, seu eductionis, aut in quo tandem consistat. Respondetur, quod ut supra diximus, quæst. XII, art. IV, et docet D. Tho-

mas opusc. XLVIII, cap. de actione, de conceptu actionis est actualis emanatio, seu emissio alicujus ab agente; distinguit autem D. Thomas duplex genus actionis, alterum quod est cum innovatione et motu, alterum sine illo persimplicem effluxum alicujus a suo principio, ut patet in quodlib. IV, artic. IX et opus. XV, cap. IX. In causis autem creatis actio, seu effluxus est medium inter agens, et effectum quasi accidentaliter, et non substantialiter illi conveniens non tanquam res producta, sed tanquam modus, seu ratio ipsa producendi, de quo videri potest D. Thomas II contra Gent. cap. XXXV. et in II, dist. I, q. I, art. V ad 11 et I p. q. XXV, art. I ad 3.

Ex quo constat, quid sit de conceptu formali actionis præcise, ut actio est, quid vero pertinet ad specialem modum, vel connotationem ejus, in quantum talis actio est. De ratione enim actionis ut causalitas est agentis, præcise est, quod sit actualitas per modum emanationis, seu originis ipsius effectus ab agente cum dependentia effectus ab ipso, et ista habitudo agentis ad effectum, mediante qua effectus dependet ab ipso, est de intrinseca ratione actionis; quæ est causalitas, et ita semper requirit aliquam novitatem saltem quoad modum, et dependentiam in ipso termino, respectu agentis. Superadduntur autem actioni alii respectus, sive connotationes, vel respectu termini a quo, in quibus formaliter non consistit actio, licet illos admittat, et per illos dividi possit, v. g. quod actio sit productio, vel reproductio,eductio, vel inductio, sive unio, sive immutatio; omnia ista important diversas connotationes actionis et diversos respectus, verb. gr. quod sit productio, importat actionem cum novitate ipsius esse in termino, ita quod in rebus creatis transeat de

non esse ad esse quando producit. Reproductio dicit actionem connotando rem fuisse. Et salvatur actio sine productione novæ entitatis in termino, ut patet in transsubstantiatione, quæ convertit aliquid in præexistens; et intensio salvatur sine productione novæ qualitatis, solum per novam unionem ipsius ad subjectum in opinione Thomistarum, de qua in libris de generatione. Item quod actio siteductio formæ, vel inductio, sive unio ipsius, vel etiam mutatio vel motus convenit actioni secundum respectum ad passum, sive subjectum, de quo forma educitur, vel cui unitur: unde sine tali connotatione salvatur ratio actionis solum per ordinem agentis ad effectum: unde solum conveniunt ista actioni, ut talis est, nempe, ut dependenter operans a materia.

Tertio dubitabis, quis dicendus sit terminus formalis, a quo sumitur specificatio, vel diversitas actionis? Respondetur, in sententia D. Thomæ certum esse actionem specificari, tum a principio, tum a termino, ut patet in prima parte, quæst. LXXVII, art. III, et licet frequenter etiam dicat D. Thomas specificationem actionis, ut actio est, sumi a principio, ut autem passio, seu motus est sumi a termino, ut in I-II, qu. I, art. III, tamen per hoc non negat specificari etiam actionem a termino, cum ipsa natura actionis instituta sit et ordinata essentialiter ad terminum, cum sit causalitas, quæ causa tum essentialiter respicit, sed explicare vult D. Thomas specialem rationem actionis, ut actio est, quia respicere terminum commune est actioni et passioni, sed respicere illum sub ratione originis ab aliquo principio, hoc est proprium actionis, et ideo etiam quando actio specificatur a termino specificatur etiam ab illo, ut aliquo

modo habet rationem principii, quantum terminus præcedit in ipso principio operandi, ut in intentione, seu proportionem, ut principietur actio, quia non potest principiari ab aliqua forma, nisi ut proportionata et ordinata ad talem terminum, quod explicavit S. Thomas I p. q. CV, art. V, ubi inquit: « Quod finis agens, et forma, se habent ut actionis principium, sed ordine quodam; nam primum principium actionis est finis, qui movet agentem; secundo vero agens: tertio vero forma ejus, quod ab agente applicatur ad agendum. » Quare cum D. Thomas dicit specificari actionem a principio, ibi includit etiam, quod specificatur a termino, scilicet ut continetur in principio.

Inquirimus ergo, quæ sit formalitas termini seu principii, a qua specificatur actio, nam circa eundem terminum materialiter posse versari diversas actiones certum est, sicut ad eundem locum materiale potest terminari motus ascensus, vel descensus, etc. Circa hoc ergo solum dicit D. Thomas q. LXXVII citata, quod non quæcunque diversitas objectorum diversificat potentias sed differentia ejus, ad quod per se potentia respicit. Et idem proportionaliter dicendum est de actionibus non potentie non nisi mediis actibus specificantur. Id ergo formalem terminum vocamus, quæ ad illum per se ab actione vel potentia respicitur. Nam formalis terminus dicitur non secundum entitatem suam tantum, sed sub ea formalitate et ratione, qua conducit ad specificandum istam actionem, et ut attingatur ab ista potius quam ab alia, sicut dicimus objectum formale visus esse corpus quatenus coloratum aut lucidum, tactus autem quatenus calidum vel frigidum.

An vero semper requiratur in termino, ut sit terminus formaliter dis-

tinctus ab alio aliqua ratio quæ, tanquam nova entitas vel modus, qui producat, an vero sufficiat distincta ratio *sub qua*, vel novus respectus ad terminum a quo, vel nova dependentia ad agens. Ad hoc respondebimus infra quæst. XIX, art. I.

Quarto dubitabis, quæ sit divisio actionis in creativam, et eductivam, et quomodo differant. Respondetur, differentiam istarum actionum ex earum definitionibus cognosci, est enim actio *creativa*, quæ operatur effectum nullo subjecto præsupposito, sed ex nihilo. Actio vere *eductiva* est, quæ producit effectum ex aliquo subjecto præsupposito, immutando, et reducendo potentialitatem ejus in actum: ex quo colligitur non posse aliquod eadem actione simul educi, et creari, esset enim procedere ex nihilo, et ex aliquo: quod vero aliqui dicunt, quod licet quælibet actio non possit simul procedere ex nihilo, et ex aliquo, tamen quia in productione alicujus substantiæ multæ actiones concurrent, verbi gratia creatio materiæ, et ductio formæ, unio illius, etc. tota collectio actionum dicitur ex nullo alio præsupposito, licet quælibet actio divisim non possit simul esse eductiva, et creativa, hoc nihil est tum, quia hoc idem invenietur in quolibet effectu accidentali, nam etiam quando album producitur, tota collectio actionum, quæ ad illum prærequiruntur, ut productio subjecti, formæ albedinis, et unio ejus, non præsupponit aliud subjectum, ex quo tota illa collectio fiat: tum etiam, quia productio substantiæ non consistit in collectione plurium actionum, sed in illa, qua ultimò attingitur, sicut actio producens equum, non consistit in actione, qua ab initio producta fuit materia, sed qua modo generatur equus; illa enim præsupposita fuit non solum ad equum, sed ad omnia, quæ ex illa

materia possent generari. Certum tamen est, quod in collectione omnium actionum, quæ ad aliquid requiruntur etiam materiæ primæ, aliquid creationis involvitur.

An vero actio creandi sit prædicamentalis, licet non dicat ordinem ad passum, sed ad effectum, dependet ex his quæ articulo sequenti tractanda sunt, an ista actio sit in agente, vel in effectu, quatenus creata est, et an prædicamentum actionis solo ordine ad effectum constituitur, an etiam requirat ordinem ad passum, et ad passionem de quo ibi dicemus.

Ultimo dubitabis, quæ sit divisio actionis in immanentem, et transeuntem, et an immanens, vera actio sit. Respondetur quod si loquamur de actione physica, quæ cum motu et passione conjuncta est, certum est non convenire actioni immanenti, quia de se non requirit motum in ipso agente, sed tanto perfectior est, quanto magis supponit ipsum agens in actu; unde invenitur operatio immanens, ut cognitio sine aliqua transmutatione passiva subjecti, sed præcise per ordinem ad objectum, quia passio non ponitur in aliquo subjecto nisi quando producitur aliquis terminus seu forma, quæ in eo recipiatur; cognitio autem immanens, ut immanens est, per se non requirit productionem termini, ut patet in sensu externo, qui non producit in se aliquem terminum seu imaginem, in qua perficiat sensationem, sed immediate sentit terminum externum, ut in lib. de Anima dicitur. Quod si aliquando actio immanens producit terminum, non est præcise, quia immanens, sed quia virtualiter transtiens, vel quia est dicens, seu expressiva.

Ex quo ulterius fit discursus ad negandum, quod actio immanens formaliter et pure non sit actio de

prædicamento actionis, licet virtualiter actio esse possit. Ratio est, quia actio quæ est de prædicamento actionis tantum debet esse causalitas agentis, et connotare ordinem ad passum; causalitas autem agentis nunquam est ultimum, quod intendit agens, et ubi cessat ejus finis, sed est medium quo tendit ad terminum productum, aut de novo positum, propter quem est ipsa actio; at vero operatio immanens est ultimus actus, qui intenditur ab operante, tunc enim est in actu simpliciter cognoscens, quando actu operatur et intelligit, unde felicitas seu beatitudo, quæ est ultima hominis perfectio, in ipso actu intelligendi consistit, et perfectio viventis in operatione vite est, non in aliqua quiete, sed ipsa operatio propter se ipsam quaeritur, non propter aliquem terminum, nam etiamsi producat aliquis terminus, v. g. verbum, adhuc perfectio intelligendi non est in productione talis termini, sed in contemplatione in verbo jam producto, ergo operatio immanens non se habet per modum medii et via, quia aliquis terminus acquiritur, sed potius ipsa est ultima actualitas, quam intendit operans, et sic non est de genere actionis prædicamentalis, sive quæ infert passionem, sive quæ se habet per modum causalitatis tantum, quia non quaeritur propter terminum causandum, sed propter suam actualitatem. Et hæc doctrina est D. Thomæ ut videtur primo contra Gent. cap. c, ubi inquit: « Dico autem operationem in ipso manentem, per quam non fit aliud præter ipsam operationem, sicut videre, et audire, hujusmodi enim perfectiones sunt eorum, quorum sunt operationes, et possunt esse ultimi, quia non ordinantur ad aliud quod factum, quod sit finis operatio vera, vel actio, ex qua sequitur aliquid præter ipsam, est perfectio ope-

rati, non operantis, et comparatur ad ipsum sicut ad finem. » Ubi aperte tradit nostram doctrinam, quare actio ista non fit de prædicamento actionis, quia non est pure causalitas agentis, eo quod non se habet ut medium et via, sed ut ultimum et finis. Actio autem prædicamentum, ut dicit S. Thomas in 1, distinct. viii, quæstione iv, artic. iii ad 3, dicit aliquid fluens ab agente cum motu: quod ergo non se habet ut fluens et via, et cum imperfectione et motu seu ut præ se fluens, et ad ulteriorem perfectionem tendens, sed potius ipsa est ultimum, talis non est actio prædicamentum: unde expresse eam rejicit a prædicamento actionis D. Thomas opusculo XLVIII, tract. de actione.

Quod si inquireas, quomodo ergo producitur ista entitas, quam dicimus immanentem actionem; si enim est effectus, ergo supponit causalitatem, quæ procedat ab efficiente; si vero non est effectus, ergo vel est causalitas ipsa et actio, vel entitas increata, vel nihil, respondetur tales actus immanentes esse virtualiter actiones, licet formaliter sint qualitates. Et pro ea parte quæ actiones sunt, se ipsis emanant sicut actiones; et sicut passionem propriam a substantia emanant, et relationes a fundamento, eo modo se habent illæ qualitates, quæ sunt actus immanentes respectu potentia, quia etiam habent munus et vim actionis licet eminenter seu virtualiter. Et hujus signum est, quia intellectio se ipsa est etiam dictio et productio verbi, ut tractari solet prima parte, quæstione XXVII, et dicemus in libro de Anima, ita quod dicere non distinguitur realiter ab intelligere; dictio autem et productio verbi causalitas ejus est, quia habet ipsam imaginem verbi pro termino et similitudine expressa. Ergo se ipsa potest emanare sine alia distincta actione,

sed ipsa privilegium habet actionis. Similiter conceptio practica intellectus, habet vim movendi etiam extra se, quod non fit nisi actione transeunte, sicut dicit D. Thomas quod Angeli suo imperio quod est conceptio intellectus, movent cœlum, opusc. xi, ar. iii, non ergo extraneum est ab actione immanente, quod habeat vim transeuntis, et pro illa parte emanat seipsa a potentia.

#### ARTICULUS IV.

*Utrum actio transtiens subjective sit in agente?*

Procedit quæstio de actione transeunte, quia de immanente non est dubium subjectari in agente, ex eo enim immanens est, quia non perficit nisi ipsum agens. At vero transtiens perficit non solum agens emanando ab ipso, sed etiam perficit effectum causando ipsum, et si effectus recipiatur in passo, etiam perficit passum mediante effectu recepto. Unde quia denominat et perficit agens, et similiter effectum et passum, quaerimus in quo ex illis sit inhæsiue, licet constet, quod ab agente sit emanative. Quod si actio non habeat passum sicut creatio, quia ipsum passum seu materiam efficit, non supponit, inquiremus an identificetur talis actio cum effectu, vel sit in ipso agente, non vero an sit in passo, quia caret illo.

In hac ergo difficultate concertatio est inter scholam Scoti, et D. Thomam et inter ipsos Thomistas inter se, licet ex diversis fundamentis. Censet enim Scotus actionem transeuntem subjectari in agente, ut patet in iv, distinct. xiii, quæst. i, §. Ex dictis, et distinct. xliii, quæst. v. De tertio, et aliis locis, quem sequitur ejus schola. Et fundantur in eo, quia exi-



stimant actionem predicamentalem esse respectum agentis ad passum, et relationem extrinsecus advenientem, et cum passio, et actio sint respectus mutuo oppositi, non possunt esse in eodem extremo, ita quod uterque sit in passo, vel in agente; sed alter in agente, alter in passo. Et potest hoc amplius urgeri, nam quidquid sit de actione identificata cum motu, tamen certum est relationem agentis esse in agente et relationem effectus, vel passi in passo, cum constet, quod agens realiter respicit terminum et passum, et e contra, ergo non minus, quam in aliis relativis relatio debet esse in ipsis extremis relatis: ergo etiam fundamentum talium relationum, quod est ipsa actio et passio, debet distincte poni in ipso agente et passo, eo quod fundamentum identificatur cum relatione.

Inter Thomistas autem sequitur eandem sententiam Cajetanus, II parte, quæst. xxv, artic. 1, et Nazarius ibi, controversia unica, et alii; sed fundamentum ex eo sumunt, quia actio transiens est actus secundus perficiens, et mutans intrinsece ipsum agens, ergo debet esse subjective in illo. Consequentia patet, quia perfectio intrinseca debet subjectari in eo, quod denominat, hoc enim est esse intrinsecam. Antecedens vero probatur; tum quia actio est actus et complementum potentie agentis, ut dicit D. Thomas I contra Gentil. cap. ix, quia comparatur ad potentiam sicut actus secundus ad primum; unde concludit ibi, quod actio quæ non est substantia agentis, inest ei, sicut accidens subjecto: tum, quia major et prior perfectio agentis est actus secundus, quam primus, cum actus primus sit in potentia ad secundum, et per ipsum reducatur de potentia ad actum, sublatam ejus intrinseca potentialitate, et consequenter appositam intrinseca

actualitate: sicut ergo actus primus est subjective in agente, ita et actus secundus, qui est ipsa actio. Plures auctoritates S. Thomæ statim referemus.

Secunda sententia, quæ frequens etiam est inter Thomistas, docet actionem subjective esse in passo, sive in effectu. Quam tenet Ferrariensis, Capreolus, Hervæus, Soto, Soncinnas et alii, quos citat, et sequitur Cursus Carmelitanorum hic disputatio. xvii, quæstione quarta et quinta. Idem tenet P. Suarez disputat. xlviii Metaphysicor. sectione quarta. Qui addit, actioni transeunti sub conceptu actionis, quo distinguitur a passione, non convenire subjectum inhæSIONIS, sed solum denominationis, et emanationis ab agente. Si tamen aliquod subjectum inhæSIONIS habet, illud est ratio sui termini seu effectus, cum quo actio identificatur tanquam modus ejus, et emanatio seu processio ipsius.

Et hinc sumitur fundamentum hujus sententiæ. Nam actio identificatur cum motu, et cum termino motus, et non datur alia actio, nec est magis necessaria, quam illa; quæ cum motu identificatur; motus autem et terminus productus non sunt in agente, sed extra illud, ergo neque actio in agente: actio enim est ubi est illud, cum quo identificatur. Discursus totus constat ex supra dictis, ubi probatum manet, quod actio identificatur cum motu, et quod motus sit in mobili seu passo tanquam in subjecto, quod etiam affirmat Philosophus hoc libro, capite quarto. Quod vero non sit alia actio, quam illa quæ identificatur cum motu, constat, tum quia Philosophus non meminit alterius actionis, si autem alia actio daretur ex parte agentis, et alia ex parte motus seu passi, quomodo diceret Aristoteles, quod actio etiam sit actus agentis, et denominet ipsum, tamen

est in passo, quia actus unius potest esse in alio secundum diversam rationem? Tum etiam idem constat, quoniam ponere duas actiones, alteram in passo, alteram in agente omnino superfluum videtur; si enim actio quæ est in effectu vel in passo, egreditur ab actione quæ est in agente, cur non poterit immediate egredi ab ipso actu primo, siquidem immediate ab ipso egreditur actio illa, quæ est in agente? Et tamen illa actio, quæ est in agente, non est ultima ratio, qua egreditur effectus, hæc enim est ipsamet processio, et egressio effectus, quæ non est in agente, sed in effectu procedente; ergo sine fundamento ponitur actio in agente, siquidem non est ipsa ultima ratio causandi, et procedendi in ipso effectu, et sic non est actio, de qua loquimur in præsentii. Denique illa actio, quæ est in agente, emanare debet ab ipso, ergo idem agit in seipsum, et sic simul est in actu, et in potentia respectu ejusdem; in actu ad agendum, et in potentia ad recipiendum.

Denique, urgent pro hac parte aliqua loca Aristotelis et D. Thomæ; nam Aristoteles in hoc tertio libro, text. xx, docet non esse inconveniens, quod actus unius sit in altero, ut doctio in adisceente. Et ix Metaphys. text. xvi, dicit: « Quod edificatio est in edificato. » Et tertio de Anima, text. cxxxviii: « Agentis, inquit, moventisque operatio in ipso patiente suscipitur, atque inest, atque adeo actio, et passio non in agente est, sed in eo quod patitur, etc. » Super qua loca idem affirmat expresse D. Thomas et in questione xiv de Veritate, articulo iii et x, de Potent. articulo i et ii contra Gentil. cap. i. Denique, hanc differentiam ponit D. Thomas inter actionem immanentem, et transeuntem, quod actio immanens primo, et per se perficit ipsum agens, transiens autem

primo, et per se perficit ipsum passum: nec est perfectio agentis, sed moti, ut expresse docet I part. quæst. xviii, articulo. iii ad i, et quæst. l. iv, articulo. ii, et i-ii, q. iii, articulo ii, ad 3, et primo contra Gentiles, cap. c. Ergo repugnat, quod actio transiens sit in agente, alioquin ex se esset perfectio agentis, quia id primo, et per se perficit, in quo primo et per se est, quod est tollere differentiam inter actionem immanentem, et transeuntem, quæ adæquate dividunt actionem, ut sic.

Nihilominus resolutio nostra sit: Secundum mentem D. Thomæ actio secundum propriam rationem actionis non petit subjectum inhæSIONIS, sed emanationis, ita quod ad denominandum aliquid agens per accidens se habet, quod inhaereat: vere tamen, et in re actio emanans duplicem formalitatem debet importare, quarum una actuet, et inhaereat in agente, altera in termino, et mediante termino in passo, si terminus sit aliquid dependens a subjecto. Itaque actio in agentibus creatis, in quibus per modum emanationis se habet, et accidentaliter convenit agenti, inchoative est in agente et consummative in termino, seu effectu, non secundum eandem entitatem modalem, seu formalitatem; hoc enim est impossibile, cum sit diversum subjectum, sed secundum diversam, quæ ordine quodam unum sunt: ad eum modum, quo D. Thomas et Theologi i-ii, quæst. l., articulo. ii, dicunt, quod virtus moralis, quæ moderatur passiones est in duplici potentia, scilicet in voluntate imperante inchoative, et in appetitu elicente passiones moderatas consummative; et quia denominatio virtutis fit simpliciter ab eo, ubi consummative est virtus, ideo simpliciter dicitur esse virtus in appetitu sensitivo.

Eodem modo actio, quæ est causalitas emanans ab agente, quatenus reddit agens actuum in actu secundo, et transmutatum de otio in actum reliquit formalitatem actionis in agente inchoantem ipsum effectum : ut autem reddit effectum in actu secundo causatum, et procedentem a causa, ponit formalitatem in effectu, qua redditur actio consummata, et inde fit denominatio agendi, neque enim aliquid dicitur agere ante effectum : et ratione hujus simpliciter actio est in termino.

Et quod ista sit mens D. Thomæ constat ex collatione locorum ipsius, in quibus agit de hac re. Nam in primis, quod actio ex proprio conceptu actionis non postulet subiectum inhærens, sed emanationis, constat ex I P. d. xxxii, qu. i, art. i, ubi inquit : « Quod si per impossibile poneretur esse aliquam actionem, quæ non esset accidens, non esset inhærens, et tamen denominaret agentem, et tunc agens denominaretur per id, quod ab eo est, et in eo non est, ut inhærens. » Ergo ex proprio conceptu actionis, ut præcise denominat agens, non dicit subiectum inhærens, sed emanationis, licet quia accidens est in rei veritate inhæreat, quod etiam aperte dicit in questione septima de Potent. articulo ix ad 7, et quæst. viii, art. ii. Item etiam, quod debeat poni actio in agente in quantum importat actum secundum immutantem ipsum actum primum constat, quia I parte, quæst. lvi, art. i, dicit : « Quod actio est actualitas virtutis. » Et II contra Gentil. cap. ix : « Quod actio est complementum potentie : » et tamen, quia non est actualitas completa, et consummata in ipso agente, sed in effectu, ad quem derivatur, dicit in dicta questione lvi, art. ii, quod actio transiens non potest esse passus esse agentis, quia esse signi-

ficatur intra rem ; actio vero est effluxus in actum ab agente. Deinde in II contra Gent. cap. xxxv, et in II, d. i, artic. v ad ii, dicit : « Quod agens agit actione media, quæ non est essentia ipsius operantis, et in talibus non potest sequi effectus novus sine nova actione, et novitas actionis facit aliquam mutationem in agente prout est exiens de otio in actum. » Ergo sentit D. Thomas quod actio aliquid ponit intrinsecum in agente, et non solum extrinsece denominat ipsum, alioquin non diceret, quod ponit mutationem in illo. Et conformiter ad hoc distinguit S. Thomas creationem, ut est actio, et ut est passio, seu actio, ut effecta, et ut efficiens in I, dist. xl, questione prima, articulo primo, ut intelligamus actionem ad utrumque pertinere, et importare non unam, sed duplicem formalitatem, unam in agente, ut est actio agens, et aliam in effectu, seu passio, ut est actio effecta. Quod tandem expressis verbis affirmat in II, dist. xl, quæst. i, art. iv ad i, ubi dicit : « Actionem, et passionem non posse esse idem numero accidens, quia actio est in agente, et passio in patiente. » Et cum alias ponat cum Philosopho III Physic. lect. v et aliis locis supra citatis, quod actio et passio identificantur cum motu, et quod actio transiens est propria perfectio operati, consequenter oportet fateri, actionem apud D. Thomam importare duplicem formalitatem, alteram in agente, alteram in passio, seu termino, ubi consummatur actio, et ratione cuius dicitur agens denominari ab aliquo extrinseco, scilicet ab affectu, ut dicit in opusculo XLVIII, tract. de actione, et in tertio Physicorum, lectione quinta.

Nec potest responderi, quod quando dicit D. Thomas quod actio et passio non sunt idem numero accidens, loquitur de actione ut morali,

et libera ; et sic est actio immanens. Quando vero dicit actionem esse in agente intelligitur ratione alicujus commodi extrinseci, quod agenti provenit ex actione, quia saltem propagatur ejus species. Sed contra primam solutionem est, quia D. Thomas prius loquitur in communi de actione et passione, et motu. Deinde ad litteram loquitur de actione inferente passionem, scilicet crucifigentium Christum, et quæ est accidens numero distinctum a passione ; actio autem immanens neque infert passionem, neque ponit in alio subjecto distinctum accidens numero, Si autem loqueretur de actione in esse morali, et non in esse physico, potius dicerentur unum numero accidens in esse morali actio, et passio, quam plura. Contra secundam autem solutionem instatur, quia actio in quantum accidens inhæret in agente, ut dicit S. Thomas, ergo frustra explicatur id de emolumento extrinseco, hoc enim non inhæret in agente, et sic ratione talis emolumenti non assignare S. Thomam subjectum quod actioni convenit in quantum accidens.

Ex quo manet explicatum fundamentum hujus sententiæ, sumitur enim ex fundamentis utriusque sententiæ allata, quæ probant requiri actionem, et dari tam in agente quam in passio, nec enim salvaer actio, quin sit actualitas secundæ agentis, et actum primum reducat de potentia ad actum, et de otio ad operationem, hoc autem perfectio aliqua est ipsius agentis et mutatione, et non sola denominatio extrinseca, sicut enim intrinsece agens est in potentia, et in actu primo ad operandum, ita oportet quod reducat intrinsece ad actum secundum, et mutetur in actum, dum in actu operatur ; debet ergo ista actualitas actionis in agente esse. Cæterum ibi non consummatur ac-

tio et causalitas agentis, nisi effectus ipse procedat et emanet actu ab ipso, et sic origo ipsa motus et termini producti, cum ipso motu et termino identificari debet, illa autem origo ab alio, actio effecta est, causalitas, et sic formalitas actionis, ut processio et origo motus, cum termino et motu debet identificari, ibique consummatur actio, quia ibi terminatur.

Solum restat respondere ad argumenta secundæ sententiæ pro ea parte, quia intendunt ostendere, quod superfluit ista duplex actio. Nam argumenta pro prima sententiâ solum ostendunt oportere aliquam actualitatem, et formalitatem actionis esse in agente non tamen omnem, nec ibi consummari, ut dictum est.

Ad primum ergo secundæ sententiæ respondetur, actionem effectam identificari cum motu et termino producto, sed non actionem efficientem, quæ est actus secundus agentis. Et ad instantias quæ afferuntur ad probandum non esse duplicem actionem, respondetur ad primum, quod Aristoteles non fuit sollicitus explicare, quomodo actio fit in agente, sed in passio eo quod in passio actio est consummativa, et inde accipitur denominatio agendi completa, et perfecta, et ideo solum explicavit, quomodo actio sit in passio ; hoc enim solum difficultatem habebat, et ejus instituto deserviebat, cum principaliter ageret de motu et de actione, ut est conditio identificata cum motu ; et sic solum est in passio.

Ad secundam instantiam dicitur, non superflue istas duas actiones, quia quælibet earum non est completa, et perfecta, sed utraque requiritur ad consummatam rationem agendi ob rationem dictam. Et tam ipsa actio effecta, quam ipsa actio agentis, seu utraque formalitas egre-

ditur ab agente, non per aliam actionem, quia utraque complet eandem actionem, et utraque pertinet ad rationem causalitatis; sed una per modum actualitatis agentis, altera per modum actualitatis passi: non vero una ut effectus, altera ut tota causalitas, sed utraque ut conditio, et ratio pertinens ad eandem causalitatem, non tamen utraque immediate egreditur, sed ordine quodam quia inchoatur in actione agentis ratio, et causalitas agendi, consummatur tamen in actione ex parte effectus. Et sic non probatur, quod actio agentis non pertineat ad rationem causalitatis, et ratio operandi; sed quod non pertineat tanquam ultima et consummativa ratio ipsius. Et sic actio ex parte agentis est formalis egressio, et formalis causalitas inchoative et active, non consummative et formaliter.

Ad tertiam instantiam respondetur per ipsam egressionem effectus sufficienter constitui agens in ratione agendi consummative, et denominative, non autem inchoative et active, seu per modum actus secundi agentis; hoc enim necessario supponitur ad actionem effectam, sicut fides necessario supponit piam affectionem, et virtus in appetitu sensitivo dispositionem imperandi in voluntate; ideoque actio transiens non dicitur perficere ipsum agens, sed passum, seu effectum, quia ibi consummatur actio licet in agente inchoetur, et ad terminum ordinetur.

Ad quartam instantiam respondetur, quod illa actualitas in agente emanat ab ipso, non ut terminus, seu effectus, sed ut modus, seu causalitas inchoata. Et talis modus non emanat ab ipso agente, ut est in potentia pure; sed ut est in potentia mota a Deo, et aliis causis superioribus, quibus inferiores determinantur, et actuantur, ut emanet ab

illis actualitas actionis, quæ rursus in ipsa potentialitate actus primi recipitur, actuando illam per modum actus secundi: et sic non est in potentia, et actu secundum idem.

Ad loca D. Thomæ, respondetur loqui ipsum sicut et Aristoteles de actione affecta, prout est consummata, et completa ratio agendi, a qua fit denominatio. Et quando ponit differentiam inter actionem immanentem, et transeuntem, quod illa est perfectio agentis, non ista, loquuntur de perfectione et completa agendi, hæc enim consummatur in agente, quando est immanens, in effectu vero, et passo, quando est transiens, inchoativa autem est ipso agente, ut dictum est, et quia utraque hæc actio pertinet ad constituendum ipsam causalitatem agentis, una inchoative, altera consummative, ad idem prædicamentum actionis reducitur etiam illa actio, quæ est in agente, sicut pia affectio ad fidem, et dispositio voluntatis ad virtutem, quæ est in appetitu.

#### QUESTIO XV.

##### DE INFINITO.

#### ARTICULUS PRIMUS.

*Quid sit infinitum, et in quo sit punctus difficultatis?*

Ut sine æquivocatione in hac parte procedatur, oportet præmittere definitionem, et varias divisiones seu acceptiones infiniti. Licet autem plures acceptiones ejus Aristoteles insinuaverit in hoc libro, cap. iv, tamen in præsentem possumus distinguere infinitum, quod aliud accipitur positive, aliud privative, aliud negative. Cum enim infinitum com-

munissime acceptum nihil aliud sit, quam illud, quod caret termino, et fine, potest accipi ista carentia privative, quando est in aliquo subjecto, quod natum est habere terminum, sed tamen caret illo, sicut quantitas est capax ut finiatur, sic tamen non habeat terminum, dicitur infinita privative, quod etiam dici potest positive respectu quantitatis. Et hoc modo definit Philosophus, cap. vii infinitum: *Id cuius partem accipientibus, semper aliquid manet extra*. Negative vero infinitum dicitur illud cuius subjectum non est capax alicujus termini. Hoc autem dupliciter potest contingere, uno modo propter perfectionem positivam subjecti, quando talis est, quod nullo termino affici potest. Et hoc modo Deus est positive infinitus, id est, actualitate, et perfectione, non quantitate. Alio modo potest hoc contingere ex imperfectione subjecti, quando tanta est, ut nihil habeat in se, quod terminari possit, sicut punctum, et unitas, quæ propter indivisibilitatem non habent terminum, sed ipsa sunt terminus.

In præsentem non agimus de infinito negative, nec de infinito positive, quod est Deus; sed de infinito privative, quod definivit Aristoteles in præsentem definitione tradita. Licet autem hoc infinitum manifestius inveniatur in quantitate, tamen reperiri etiam potest in aliis prædicamentis, ut in substantia, qualitate, et relatione. Infinitum substantia est, quod caret termino essendi, seu existendi, quibus substantia ipsa in ratione substantiæ constituitur. Et hoc infinitum, ut postea videbimus, est idem ac infinitum in genere entis. Infinitum in qualitate est, quod caret termino intensiōnis secundum gradus qualitatis. Infinitum in relatione est, quod dicit respectum aliquid infini-

tum, unde sumit connotationem, seu denominationem aliquam extrinsecam infinitatis: sicut actiones Christi dicuntur infiniti valoris per respectum ad personam dignificantem. Denique, infinitum in quantitate juxta duplex genus quantitatis, discretæ, et continuæ, aliud est infinitum magnitudinis, aliud multitudinis. Illud est, quod caret termino partium in continuo: istud est, quod caret termino multitudinis, et divisionis. Quare infinitum, de quo in præsentem tractari solet, est triplex, secundum magnitudinem, secundum multitudinem et secundum intensiōnem.

Potest autem hoc infinitum sumi vel in actu, vel in potentia. Infinitum in actu, quod etiam infinitum positione, seu positive appellari potest, et communiter dicitur infinitum categoricè, id est, affirmative aut prædicative, est illud cui non solum non potest signari terminus, ultra quem non transeat, sed etiam de facto omnes terminos transit, et ideo requiritur ad tale infinitum, quod habeat partes infinitas æquales uni certæ non communicantes inter se, et simul existentes. Quod est dicere, quod infinitum actu requirit partes determinatas, seu aliquotas, quarum una superaddat alteri novam partem, quæ non communicet, nec reassumatur cum altera, sicut Philosophus dicit in vii hujus libri, quod circuli dicuntur infiniti reassumendo easdem partes: sed tunc dicitur infinitum ait Philosophus, quando quæcunque parte accepta, nova alia sumi potest. Infinitum autem in potentia dicitur illud, quod secundum id quod habet est finitum, sed secundum id quod est in potentia, non habet terminum, id est, non potest illi signari certus, aut determinatus terminus, ultra quem transire non possit, si ve per additionem, si ve per subs-